

lis tantum, qui in diebus Noë increduli fuerunt, cum fabricaretur arca? Aut si omnibus predicavit, cur illos solus Petrus commemoravit, præmissa multitudine tam innumerabili cæterorum?

Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum, satis constat. Neque enim contradici potest vel Prophetiæ, quæ dixit: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*: quod ne aliter *ps. 15. (16.)* quisquam sapere auderet, in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit: vel ejusdem Petri illius verbis, quibus eum asserit *solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri.* Quis ergo, nisi infidelis, negaverit fuisse apud inferos Christum? Quod si movet aliquem, quemadmodum accipiendum sit, *inferni ab illo solutos dolores*; [neque enim coeperat in eis esse, tanquam in vinculis, & sic eos solvit, tanquam si catenas solvisset, quibus fuerat alligatus:] facile est intelligere, sic eos solutos; quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant; non, quia tenuerunt. Potest & sic, ut eos dolores eum solvisse credamus, quibus teneri ipse non poterat; sed quibus alii tenebantur, quos ille noverat liberandos. Verum quinam isti sint, temerarium est definire. Si enim omnes omnino dixerimus tunc esse liberatos, qui illic inventi sunt, quis non gratuletur, si hoc possimus ostendere? præsertim propter quosdam, qui nobis literario labore suo familiariter innotuerunt, quorum eloquium ingeniumque miramur: non solum poëtas & oratores, qui eosdem ipsos falsos deos gentium multis opusculorum suorum locis contemnendos ridendosque monstrarunt, & aliquando etiam unum Deum verumque confessi sunt; quamvis illa superstitiosa cum cæteris colerent; verum etiam illos, qui hæc, non cantando, vel declamando; sed philosophando dixerunt: \* multos etiam, \* *Al. multorum* quorum literas non habemus; sed in \* illorum literis didicimus secundum quendam modum laudabiles vitas, ut, excepto Dei cultu, in quo erraverunt, colentes vana, quæ publicè colenda fuerunt instituta, & creaturæ potius, quàm Creatori, servientes; in cæteris moribus parsimoniam, continentiam, castitatis, sobrietatis, mortis pro patriæ salute contemptæ, servatæque; fidei, non solum civibus, verum & hostibus, imitandi meritò proponantur: quæ quidem omnia, quando non referuntur ad \* finem \* *Al. fidem* rectæ veræque pietatis; sed ad fastum inanem humanæ laudis & gloriæ, etiam ipsa inanescunt quodammodo steriliaque redduntur: veruntamen quâdam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæc fuerunt, vellemus, vel præcipuè, vel cum cæteris, ab inferni cruciatibus liberari; nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter justitia Creatoris. Quæ cum ita sint; si omnes inde solvit Salvator, & sicut requirens scripsisti, *exinanivit inferna*, ut deinceps *judicium jam expectaretur extremum*;